



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 4. De Obstetricibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

non mutatas neque vitiatas, non corruptas nec nimis vetustas subministrant. Justitia: ut justo pretio divendant, in quibus multæ fraudes intervenire non raro solent.

Articulus Quartus.

De Obstetricibus.

I. **O**bstetrices etiam particulam aliquam medicine sibi usurpant, quia quadam arte uti debent, ut feliciter absque detrimento Matris & fætus, parturienti, obstetricem manum adhibeant, ut lotioni, præcisioni umbelici, compositioni corporis puerilis, dum partus egressus est invigilent, ut denique omnia observent, quæ ad fætus & Matris conservationem in illo actu sunt necessaria: quare ad hoc assumi non possunt, nisi providæ & honestæ ac expertæ, quarum vita ac fama integra sit. Nam præter ea quæ superius narrata sunt, solent adhiberi ut cognoscant, an puella integri claustrum virginalis sit, an corrupta, an capax coitus Matrimonialis, an incapax, quarum judicio, si nihil obstet, statur. In necessitate etiam debent invigilare, ut proles tempe-

X

stive,

stive, etiam vix egressæ ex utero matris, si membrum sufficiens appareat, baptizentur, & ipsæ possunt & debent, ubi non est alia persona dignior, baptizare, adeoque formam Baptismi callere. O quot Diaboli Ministræ, proles è ventre prodeuntes occiderunt, Baptismo privarunt, & veneficiis ac sortilegiis innocua membra addixerunt, hinc invigilandum ut suis muniis probe & fideliter satisfaciant, unde iuramentum à magistratibus ab iis exigendum,

Articulus Quintus.

De Salario Medicorum.

I. **S**alarium Medicorum diversimode assignatur: aliis enim plenum Salarium ex ærario publico solvitur, ut omnium Civium infirmitatibus medeantur, & hi à particularibus, qui isti⁹ Civitatis membra sunt, salarium non accipiunt, sicut nec ij qui ab hospitalibus bene dotatis stipendium habent. Alii sunt qui quidem stipendium ex ærario accipiunt, sed non sufficiens, & his licet accipere stipendium à particularibus quos visitant, exceptis pauperibus